Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Vulpibus Simsonaeis Ex Jud. XV.4

Gebhardi, Brandanus Heinrich
Taege, Gottfried

Gryphiswaldiae, 1718

VD18 11425202

Thes. II.

urn:nbn:de:bsz:31-130372

Visual Library

ces jamdudum periere? At unde hoc constat? Annon ex eo, qvod Scriptura eum sensum in aliis locis indicat? Si radicis defectus dubiam facit vocum Hebræarum significantiam, in qvamplurimis locis Hebræi Codicis nullam habebimus certitudinem.

4. Inter Criticos nondum convenit, qva via ad verum vocum Hebræarum sensum pervenire qveamus. Alii recurrunt ad lingvam Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Hebræa filias. Alii apud Rabbinos, alii apud LXX. Interpretes præsidium qværunt. Hinc est illa significationum in Lexicis multitudo, uti recte censent Autores πολυμαθέσαροι du Journal des Scavans Anno 1703. p. 1030.

Resp. Si ita censent allegati Autores de omnibus promiscue vocibus Hebraicis, minus recte censent. Qvam plurimarum enim sensus in Scriptura planus est, exemplorum confirmatus inductione. Qvod attinet voces ἅπαξ λεγομένας, recurrendum est ad lingvas alias, ad Rabbinos & LXX, qvæ subsidia minime sibi sunt opponenda, ut videntur facere Autores du Journal, sed amice subjungenda. Hæc via est perveniendi ad vocis sensum. Primo consulendus est Scripturæ usus, hinc enim aperit sese radicis significatio; Si is deficit, radicis qvoqve sensus in Hebræo ignoratur; Hinc ad consulenda Rabbinorum scholia, ad conferendum Targum & LXX. viralem versionem deveniendum. Omnes boni Critici hunc ordinem perpetuo observant. Qvod si vero hæc subsidia negligunt, Criticorum nomine non sunt digni.

THES. II.

Vox שועל in Scriptura nihil aliud notat, qvam VULPECULAM. Ergo & Jud. XV. v. 4. vulpes significatum habet.

ANTITH.

Vox שועל citato loco non vulpem notat, sed per-